

F. R. 55. (26)

ZL  
2015

X 2047343

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

AD

EXEQVIAS

Matronæ pientissimæ, prudentissimæ, cæte-  
risqve Virtutibus muliebribus multum conspicuæ,

ELISABETHÆ  
FRANCKENSTEINIÆ  
NATÆ MERCKIÆ,

VIRI

EXCELLENTISSIMI QVONDAM ATQVE AMPLISSIMI .

DN. CHRISTIAN-FRI-  
DERICI FRANCKENSTEINII,

L. L. & Historiarum P. P. celeberrimi, Facult.

Philos. Senioris, Alumnorum Electoralium Ephori, Majoris  
Princ. Collegii Collegiati, & Academiæ  
Decem-viri,

Viri de hac Philyræa & tota Rep. literaria  
longè meritisimi,

Relictæ Viduæ,

Post horam III. frequentissimè concelebrandas

PROCERES CIVESQVE ACADEMICOS

magnoperè adhortatur.



**L**apides vivi sunt Fideles quique, iique Lapidi angu-  
 lari CHRISTO superædificati, ex quibus non Ecclesia tantum  
 in his terris, domus spiritualis à Petro dicta, sed & cœlestis Hiero-  
 solyma construitur. Hæc autem non alios sibi vendicat lapi-  
 des, nisi quales magnificentissimo Salomonis templo struendo exornan-  
 doque adhibitos fuisse legimus, h. e. lapides ab omnibus tunctionibus, sectio-  
 bus pressurisque liberos. Sic enim I. Reg. VI. *Domus cum ædificaretur, de la-  
 pidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis & omne fer-  
 ramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Sed quæ fieri, inquit  
 quis, potuit, ut in tam operosa tantæ molis structura nihil soni ac strepitus,  
 nihil mallei ac ferramentorum exaudiretur? Num quia ærea essent instru-  
 menta, non ferrea, quam sententiam viro cuidam in republ. literaria prima-  
 rio tribuit Hispanus à Didascalia multiplex notissimus Ferdinandus de Cor-  
 dova? num ultrò sic occurrerunt dolati lapides, sicque apti ad concinnandam  
 fabricam prodierunt è sede naturali sua, ut nullam vel cœmentariam vel fa-  
 brilem requirerent operam? quæ Theodoretæ, Procopii & Glycæ fuit opi-  
 nio. Num verò, quia acri & efficaci vermiculi cujusdam, quem alii *Tha-  
 mur*, alii *Janni* vocant, sanguine saxa fuere divisa, perque applicationem  
 ejus à Latomo factam figuræ variæ sine ullo malleorum strepitu saxorum-  
 que crepitu inductæ? quam Rabbinorum commentationem Vincentius  
 Belvacensis in Speculo Naturali, & Simon Majolus refert in Diebus Cani-  
 cularibus. Minimè verò, (nam sententias hæc partim Scripturæ adversas,  
 partim ridiculas esse quotusquisque non videt?) sed quia in monte vel in  
 ipsa lapidum sectura, non in templo, aut area, ubi sacra illa moles excitata  
 est, secti fuere lapides & conquadriati, aut aliâ atque aliâ cælaturâ exornati.  
 Hunc enim sensum non Josephus tantum, Antiquitatum Judaicarum con-  
 ditor, convadet, sed & post Hugonem Cardinalem, Lyranum, Cajetanum,  
 Vatablum, Abulensem, Riberam, & Cornelium à Lapide Caspar Sanctius suo  
 calculo approbat. Sic enim ille in Commentario ad h. l. *Hoc fieri non diffi-  
 cile potuit; imò & factum sæpè fuisse audio in magnorum operum substru-  
 ctionibus. Quid enim obstat, quò minus saxa procul ab ædificio accipere pos-  
 sint formam & modum, quem sedes ipsis in opere destinatae desiderant?* Sed  
 de sensu Anagogico nunc dispiciendum. Hunc commodè nobis suppe-  
 ditat Martinus Chemnitius, accuratissimus Locorum Theologicorum  
 concinnator, & ex eo Gotfriedus Olearius, candidissimus Theologus, & re-  
 cens Annotationum Biblicarum editor: *Beata urbs, inquit, Jerusalem, quæ  
 in cœlis est, construitur ex vivis lapidibus. Lapidibus illi naturâ sunt impoliti, sed  
 tunctionibus & pressuris atque variâ cruce in his terris expoliuntur, suis singuli lo-  
 cis aptantur, per manus artificis disponuntur.* Scilicet tunduntur premun-  
 turque Christiani ut lapides, quoad Ecclesiæ in his terris militantis sunt  
 concorpores; sed posteaquam variis adversitatibus atque tentationibus  
 probè expoliti sunt ac conquadriati, tum ad cœlestem pervehuntur Hiero-  
 solymam, eique ut lapides vivi, perque omnem æternitatem victuri inse-  
 runtur. Atque istud felicitatis nudius quartus indepta est Matrona prima-  
 ria ac pientissima ELISABETHA, excellentissimi quondam amplissimi-  
 CHRISTIAN-FRIDERICI FRANCKENSTEINII, LL. & Histor. P. P.  
 Facult. Philos. Senioris, Majoris Princip. Colleg. Collegiati, Academiæ  
 Decem-viri & Alumnorum Electoralium Ephori, viri longè celeberrimi,  
 nec de hac tantum Academia, sed & de re literaria universa insigniter  
 meriti relicta Vidua. Erat enim & illa lapis Ecclesiæ seu domus spiritualis  
 vivus, sed in triplici viduatu pressuris tunctionibusque multis obnoxius; nunc  
 verò

verò lapis liber est, liber, inquam, ab ærumnis atq; calamitatibus omnibus, quibus Fideles pleriq; omnes in his terris solent esse expositi. Quamquam anima tantum Hierosolymæ cœlesti inserta est, non item corpus, quippe quod terræ mandabitur hodiè, sed per cinerificationem & ipsum ad structuram æternæ illius Civitatis præparandum. Quod cum lapidem sepulcralem laudes matronales præ se ferentem sibi jure quodam postulet, nos monumentum vel ære perennius erexisse videri quimus, si historiam vitæ Ejus breviter, ut solet, ac strictim enarraverimus. Nata est Grimmæ, quæ Cremona Misniæ à quibusdam appellatur, d. XI. Septembr. Anno ær. Chr. M. DC. XIX. Patre excellenti ac longè clarissimo M. JOHANNES MERCKIO, Illustris ad Muldam Gymnasii ultra XXX. annos Rectore immortaliter merito, eoq; ex JOHANNES MERCKIO, Pastore Leutweinsdorffensium in Franconia vigilantissimo, atq; ANNA OELHAFIA, quæ familia apud Noribergenses, Lipsienses & Wratislavienses diu fuit honoratissima, progenito; & matre ELISABETHA, Fœminâ virtutibus ornatisimâ, & M. HIERONYMI LOTTERI, Advocati consultissimi Prætorisq; apud Grimmanos dexterrimi filia. At lapistum erat scaber & impolitus, uti homines omninò omnes originariam labem ex utero materno afferentes. Pars itaq; domûs spiritualis ut fieret, lavabatur mox in fonte lustrico, lapidiq; angulari CHRISTO, cujus & sanguine inuncta erat, imponebatur. In sinu deinceps Parentum, qui egregii in formanda expoliendaq; juventute erant artifices, educata tum ad pietatem, tum ad cæteras Virtutes sequiorem sexum addecens assuefiebat, rei; adeò familiari regundæ atq; exaugendæ perquam apta reddebatur. Quærens igitur sociam, quæ rem domesticam suam & administraret sedulò & gnaviter tueretur, Vir reverendus clarissimusq; M. ANDREAS WALTHERUS, Diaconus Bornensium fidelissimus, non aliam, quam hanc ELISABETHAM MERCKIAM, expetiit, nec expetiit tantum, sed & Deo Parentibusq; huic desiderio adspirantibus, Anno M. DC. XXXVI. domum duxit. Huic marito sui amantissimo juncta nihil eorum reliqui fecit, quæ desiderari aliàs in bona matrefamiliâs solent. Sed triennio necdum exacto illætabili Viduarum ordini adscribebatur, WALTHERO dilectissimo ex his terris ad cœlites evocato. Vidua igitur sic facta nihil quicquam faciebat viduitate indignum. Vitabat enim turbas, nec in publico, nisi cum sacra celebranda essent, conspiciendam se dabat; domi autem, cujus studiosissima erat, aut Deum precabatur, aut piis cantionibus labores suos, & quæ sibimet imposuerat pensa, solabatur. His virtutibus cum præstare eam deprehendisset Vir ob Ciceronianum dicendi genus, Catonianam prudentiam, atq; Euclideam scientiam magni adhuc apud Doctos omnes æstimmii ac celebritatis, excellentissimus, inquam, atq; amplissimus L. PHILIPPUS MULLERUS, Mathem. PP. Facult. Philos. totiusq; Academiæ Senior, Academiæ Decemvir, Major. Princip. Collegii Collegiatus & Alumnorum Electoralium Ephorus, post excessum prioris Conjugis, castissimam hanc WALTHERIAM. sibi legit duxitq; anno seculi jam invergentis XL. Illa tam honorabili matrimonio innexa cum Conjuge vixit summâ concordia, ac planè ex animi sententiâ, liberosq; ei genuit quatuor, tres filios, JOHANNES PHILIPPUM MULLERUM, J. U. Licentiatum & Advocatum Aulæ Saxonico-Altenburgicæ extraordinarium, M. JOHANNES ADAMUM WILHELMUM MULLERUM, Medicinæ Candidatum dignissimum, & M. JOHANNES CHRISTOPHORUM MULLERUM, Pastorem in Baalsdorff & Steteris vigilantissimum, & filiam unam ANNAM ELISABETHAM, Viro maximè reverendo, amplis-

JK 26 2015

plisimo & excellentissimo JOHANNI OLEARIO, S. S. Theol. D. & P. P. celeberrimo, Majoris Princ. Collegii Collegiato & Nationis Saxonicae Seniori spectatissimo feliciter elocata. Verum & hoc venerabili & caro capite Ao. M. DC. LIX. orbabatur, & itaque denuo in viduitatem, fecundam curarum & calamitatum matrem, incidebat. Quo in statu cum iterum numeros Viduae à Paulo depictae omnes adimpleret, mirifico ejus amore capiebatur Polyhistor Philurae hujus famigeratissimus, & nunquam sine praconio nominandus CHRISTIANUS FRIDERICUS FRANCKENSTEINIUS, cui & anno subsequente LX. Grimmae, (nam eò sese post obitum MULLERI sui se contulerat,) legitimis nuptiis sociata est. Huic suaviter concorditerque advivens non ex filio tantum CHRISTIANO GOTHOFREDO FRANCKENSTEINIO, nunc Jurium Candidato laudatissimo & ad summa quaeque contendente, sed ex nepotibus etiam ac neptibus largissimam gaudiorum maternorum fecit messem, quindecies quippe Avia facta; siquidem ex L. JOHANNE PHILIPPO MULLERO unam filiam, ex M. JOH. CHRISTOPHORO MULLERO duas filias tresque filios, & ex ANNA ELISABETHA OLEARIA filios quatuor ac quinque filias tanquam oleas vidit furculescere. Verum neque hoc conjugium semper fuit melli. Nam ex quindenario isthoc numero neptem unam tresque nepotulos non sine lacrymis unam cum parentibus suis extulit; cumque ultra XIX. annos matrimonium cum excellentissimo FRANCKENSTEINIO extraxisset, etiam hunc suavissimum vitae Consortem Anno M. DC. LXXIX. amisit. Tertiam igitur tristem Viduitatis sortem experta dici non potest, quantum doloris atque aegritudinis animo haecenus suo circumtulit. Accedebat tandem & corporis infirmitas, sensibilibusque virium defectus cum difficultate respirandi conjunctus. Sed nimirum hi mallei, haec ferramenta erant, quibus tunderetur ac premeretur hic vivus lapis, politiorque indies, adeoque & aptior ad locum in caelesti Hierosolyma implendum praepararetur. Sed ne hic quidem tunctionum ac pressurarum erat finis. Superioribus enim septimanis exquiritus supra & infra hypochondria dolor oriebatur; qui, quamvis vi Medicarum retundi reprimique se pateretur, hostem tamen longe atrociorum veluti in sui vicem remittebat. Nam d. XXIX. Julii passio hysterica subitaneo & vehementi cum impetu eam nec opinantem invadebat, nec anfractuofum tantum excitabat vomitum, sed & linguam, imò & mentem subinde in officio suo retardabat. Discussis paulisper tum morbi tum intellectus nebulis statim devota peccatorum confessione ac Coenae Dominicae usu animam expiabat, tandemque pridie Kal. Augusti, cum mala illa postliminò reversa corpus ariete crebro conqvasissent, inter preces cantionesque adstantium ex hac vita ad aeternam illam emigrabat. Jamque caelesti Hierosolymae ut lapis inserta est FRANCKENSTEINIA, CHRISTOQUE tanquam lapidi angulari imposita aeternam ab ipso vitam spiritumque accipit. Nos postquam vitam Ejus laudibus plenissimam ipsi quasi aeternitatis saxo inscripsimus, etiam corpori, cui post humationem lapidis sepulchralis non deerit, honores supremos, pro eo ac fas est, quam cumulatissime persolvemus. Facite igitur id nobiscum post horam III. CIVES HONORATISSIMI! Eò certe non matronales tantum beatè functae Virtutes, sed & magna duorum quondam maritorum, MULLERI & FRANCKENSTEINII, jamdudum eam in caelos praegressorum, sed & qui bella Domini adhuc fortiter gerit, Generi maxime reverendi, D. OLEARII, in hanc Almam merita incitare Vos debent. P. P. Lipsiae d. III. Aug. Ao. ær. Chr. M. DC. LXXXII.

L I P S I A E,  
T Y P I S C H R I S T I A N I S C H O L V I N I.

107

W.C.

F. N. 55. (26)

Z6  
2015

X 2047343

# RECTOR ACADEMIÆ LI

AD  
EXEQVIAS  
Matronæ pientissimæ, pruc  
risqve Virtutibus muliebribus m

## ELISABE FRANCKENST NATÆ MERC

VIRI  
EXCELLENTISSIMI QVONDAM  
DN. CHRIST  
DERICI FRANCKE  
L.L. & Historiarum P. P. ce

Philos. Senioris, Alumnorum Elector  
Princ. Collegii Collegiati, 8  
Decem-viri,

Viri de hac Philyræa & tota  
longè meritisim  
Relictæ Vic  
Post horam III. frequentissim

### PROCERES CIVESQVE

magnoperè adhor



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

